

quod virtutis, et formæ est, debet ei esse consubstantialis, et identificata. Solum ergo debet esse distincta a genito a parte relationis connotatæ, quod pertinet ad conditionem ex parte Personæ, et principii quod se tenentem. Et quando dicitur quod genitum, seu terminus progreditur realiter ab ipsa: ergo debet distinguui ab ipsa, distinguo antecedens; progreditur ut realiter distincta ab ipsa in relatione connotata, concedo; in forma, et virtute qua producit, nego, quia secundum hanc procedit terminus ut consubstantialis suo generanti, distinctus autem solum in relatione, et principio quod. Et hoc solum quod ex parte principii quod se tenet, est incommunicabile in potentia generativa: reliquum vero quod ex parte virtutis, et formæ, et naturæ se tenet, communicabile, et consubstantiale est Patri, et Filio. Et sic potentia generativa formaliter, et sub propria appellatione sumpta non est in Filio, tota vero virtus, et actualitas hujus potentia est in Filio, sed sub alia modificatione, scilicet ut terminans, non ut principians generationem.

XIV. Ad rationes dubitandi, quæ pro altera parte afferuntur; duas primas concedimus, quia probant nostram sententiam pro ea parte, qua asserimus potentiam generativam importare in recto essentiam secundum vim intellectivam, et expressivam. Quod vero non importet relationem etiam ex parte connotati et tamquam conditionem ex parte subjecti, seu personæ, et principii quod se tenentem non impugnant.

Ad ultimam vero rationem, qua probatur non posse etiam de connotato importari relationem prædicamentalem, sed transcendentalem, respondetur ex dictis, non debere importari nisi relationem oppositam, et distinctam realiter a termino genito, et hæc relatio prædica-

mentalis, seu secundum esse, non transcendentalis. Et ad instantiam, quod paternitas sub conceptu expresso paternitatis fundatur in potentia generativa, respondetur ex dictis articulo primo, quod fundatur in potentia generativa, et in ipso actu generationis paternitas quantum ad exercitium attingendi terminum, sed præcedit generationem, et potentiam generativam in quantum relatio subsistens, et in ratione hypostasis, ut dicit S. Thomas q. XL, art. IV, et nos supra articulo primo ostendimus. Et relatio, ut subsistens sufficit ad connotationem, et ad conditionem requisitam ex parte subjecti ad potentiam generativam: nam potentia generativa non requirit connotationem relationis, nisi quatenus illa relatio facit Personam subsistentem, et incommunicabilem in sua entitate, et consequenter in entitate sua distinctam a Persona genita, qua distinctione posita ex parte Personæ, ipsa et essentia habet vim producendi ut principium quo, et per modum virtutis aliam Personam quæ distincta sit personaliter, et relative a Persona generante, sed non a potentia generativa quantum ad ipsam formam, et virtutem, qua producit, quia hæc virtus et forma consubstantialiter esse debet in ipsa re genita. Non autem requiritur ad potentiam generativam quod habeat pro connotato, et conditione requisita ipsam relationem Patris, ut in exercitio respiciendi tangit terminum, sed prout in entitate relationis subsistens est, et entitas incommunicabilis, et opposita: hoc enim habet antecedenter ad generationem seu potentiam generativam, quia est secundum se illa entitas distincta, et opposita, et subsistens secundum conceptum relationis signatæ, non exercitæ, ut articulo primo dictum est.

ARTICULUS IV.

Quibus modis dicatur una Persona esse in alia, et prior alia, et æqualis, vel similis alteri?

I. Unam Personam divinam esse in alia, absoluta fides est: dicitur enim Joan. XIV: *Non creditis, quia ego in Patre, et Pater in me est?* Vocant theologi communiter hanc existentiam unius Personæ in alia circuminsessionem, id est, reciprocam, et mutuam existentiam unius Personæ in alia. De modo vero quo intelligenda sit hæc existentia unius Personæ in alia, non levis difficultas est. Nam respectu alicujus tertii, scilicet respectu creaturæ, bene intelligitur quomodo omnes tres Personæ simul in ea existant, quia cum operatio omnium Personarum sit una, et existentia immensitatis, quæ in operatione fundatur, sit eadem, ubi existit una Persona, existit et alia, et cum ipsa operatio Dei intime sit in omni ente, et in omni re operata a se, et dependente a se in esse, consequenter omnes tres Personæ simul existunt intime, et indivisibiliter in quacumque creatura. Sed in præsentia non agimus de hoc modo inexistenti, sed quomodo una Persona sit in alia reciproce, etiam remotis creaturis, et operatione ad extra, cum inter se ipsæ Personæ non reciproce operentur, quia licet ab una procedat alia, non tamen e contra: præter processionem autem non est alia operatio unius Personæ in alia.

II. Respondeo ergo, optime dici, quod una Persona sit in alia illo triplici modo, quem S. Thomas assignat in hac quæstione XLII, art. V.

Primo quidem ratione essentia quæ omnibus Personis communis est.

Secundo, ratione correlationis

mutuæ, qua unum relativum intelligitur esse in alio secundum intellectum.

Tertio, ratione originis secundum quod per actus immanentes ipsa origo ad intra procedit, et de ratione actus immanentis est, ut id quod procedit maneat in eo a quo procedit.

Ratio est, quia ut unum sit in alio solum requiritur ex parte extremorum distinctio, et ex parte rationis existendi conjunctio, sed hoc designatur illis tribus modis: nam Pater habet entitatem personalem relativam distinctam a Filio, et habet rationem conjunctionis ad Filium, et existendi in illo summe intimam, nempe ipsam essentiam utriusque communem ad invicem, nihil autem intimius conjungit, et ad invicem copulat, quam mutua ejusdem essentia communicatio. Unde bene notat Cajetanus in hac quæstione XLII, art. V, quod non infert D. Thomas unam Personam esse in alia ex eo præcise, quod quælibet identificetur cum essentia, sed ex eo quod unica, et eadem essentia sit communis utriusque: sic enim est ratio ut ad invicem Personæ sint conjuncte, et una sit in alia consubstantialiter. Sola enim identitas essentia, et relationum non explicat istam circuminsessionem, et existentiam unius in alio, quia per istam identitatem solum cognoscitur quod omnia hæc sunt unum in essentia, non vero unum in alio: sed hoc bene intelligitur supponendo distinctionem extremorum, seu Personarum, et considerando essentiam, ut est ratio communicationis utriusque, quatenus distinctionem retinendo consubstantialiter idem sunt: et ideo circuminsessio, et inexistencia Personarum est de numero notionalium mixtorum ex essentialibus, sicut potentia generativa, et spirativa, quæ importat ali-

quid de notionali constans ex essentiali cum connotatione relativi: sic circuminsessio, seu inexistencia Personarum importat aliquid de notionali, nempe Personas distinctas, mixtum ex essentiali, quatenus ipsa essentia sumitur ut ratio existendi consubstantialiter Personarum inter se. Nec tamen in hoc modo existendi Personæ dicuntur inexistere ad invicem secundum aliquid sui tantum, sed secundum se totas, licet ratio existendi sit essentia, quia modus iste existendi consubstantialis est; et sic per rationem substantia exercetur, quæ totalis, et indivisibilis est.

III. Secundo modo dicitur una Persona existere in alia ratione relationis, ita quod non solum ipsæ Personæ relativæ sint extrema hujus inexistentiæ, et circuminsessionis, sed etiam ipsa relatio sit formalis ratio existendi in alio. Potest autem intelligi unum relativum esse in alio correlativo, vel ratione realis tendentiæ, et respectus ad illud, vel ratione simultatis, et conjunctionis inter se, quatenus sunt simul natura, et cognitione, seu diffinitione. Primo modo unum relativum non dicitur esse in alio, sed ad aliud, quia sub illa tendentia exercet oppositionem ad aliud, quam secundum suam entitatem retinet; et sic proprie non est in alio, sed ad aliud. Secundo modo dicitur unum relativum esse in alio, quia in diffinitione unius relativi cadit aliud; et sic sunt simul cognitione, et unum in cognitione, seu diffinitione alterius, ut notat S. Thomas in articulo quinto citato, et Cajetanus ibi respondens argumentis Aureoli, et Durandi. Solum obstare videtur huic modo inexistentiæ, et circuminsessionis secundum formalem rationem relationis, quomodo Spiritus sanctus dicatur esse in Patre et Filio secundum paternitatem, et filia-

tionem, quia paternitas non est correlativa spirationis passivæ, nec similiter filiatio: ergo non erit Spiritus sanctus in Patre et Filio formaliter in quantum tales relationes sunt, sed solum in quantum spirator.

Respondet Cajetanus hic articulo quinto citato nullum esse inconveniens concedere Spiritum sanctum non esse in Patre et Filio secundum relationem, nisi in quantum spirantes sunt, seu in quantum unus spirator. Et revera ita est, loquendo de relatione formaliter opposita Spiritui sancto, quia hæc sola intrat in diffinitione illius correlativi, non autem relatio paternitatis, et filiationis. Unde si solum iste modus inexistendi est secundum quod unum relativum intrat in diffinitione alterius, non potest secundum istum modum esse spiratio passiva in paternitate, et filiatione formaliter, quia non intrat in diffinitione illarum. Sed tamen licet filiatio, et paternitas non sint formaliter correlativæ Spiritus sancti, sunt tamen identice, et radicaliter, non solum ea identitate, quæ est inter essentiam, et relationes: hæc enim non sufficit ut essentia dicatur esse in illis, cum non sit extremum distinctum; sed ea identitate, quæ est inter Personam, et relationem sibi adjunctam, quam ex se radicaliter postulant sibi identificari, quatenus sunt Personæ ad intellectualem processionem pertinentes, et sicut intellectus est radix voluntatis nostro modo intelligendi, ita notionaliter Personæ intellectivæ sunt radicale principium spirationis passivæ, quatenus ab ipsis procedere debet ut a principio personali amoris notionalis. Unde tamquam principium quod debent illi opponi, et sic ut radicaliter respectivæ ad Spiritum sanctum, etiam correlative sunt in illo radicaliter: ratione autem spi-

rationis sunt correlative in illo formaliter.

IV. Quod si dicas, modum istum existendi in alio reciproce non esse proprium Personarum divinarum, convenit enim etiam relationi creatæ: una enim relatio etiam in diffinitione correlativi ponitur, respondetur convenire quidem in relationibus creatis, sed non esse proprium divinarum Personarum habere mutuam existentiam quomodoque ut relationes, sed ut Personas. Extra Deum autem nullæ relationes sunt Personæ; et sic nullæ Personæ sic inexistunt modo relativorum: sed relationes creatæ cum sint accidentia, petunt diversa subjecta, et sic impeditur circuminsessio earum, et multo minus circum-sedent ut Personæ.

Denique, ratione originis constat unam Personam esse in alia, seu intra aliam, quia cum illa origo operetur ratione actionis immanentis, ad ipsam pertinet, quod Persona procedens non sit extra producentem, sed maneat in illa, quia non procedit extra illam: ergo est in illa, sicut conceptus intra intellectum, amor intra voluntatem. Solum in hoc modo existenti unam Personam in alia est difficultas ex ratione dubitandi supra proposita, quia hoc modo bene intelligitur Personam procedentem, v. g. verbum esse in Patre a quo procedit immanenter, non tamen reciproce Patrem esse in Filio, quia cum non procedat ab illo, nec sit mutua ista origo, non potest ratione originis immanentis Pater esse in Filio, vel Pater et Filius in Spiritu sancto, quia ab eo non procedunt.

Sed respondetur quod non dicitur Pater manere in Filio tamquam in principio suæ originis, sed tamquam in termino, quia ut dicit D. Thomas super Joan. cap. xvi, lect. iv: « Quidquid habet Pater, habet Filius, non

tamen eodem ordine: nam Filius habet sicut ab alio accipiens, Pater vero sicut alii dans. » Quare modus essendi per originem immanentem utrumque includit, et existentiam termini in principio, et existentiam principii in termino; et licet in rebus creatis terminus actionis immanentis non possit in se habere principium a quo procedit, sed ipse est in principio ut manens, et inhærens in illo, tamen quando terminus procedens est subsistens, sicut dicitur manere in suo principio, non per inhæSIONEM, sed per processionem, ita dicitur principium manere in ipso termino per terminationem in ipso, non per inhæSIONEM.

V. Ex quibus solvitur alia quæstio, quæ hic solet annecti, an videlicet dicatur una Persona esse in alia, non solum tota, sed etiam totaliter. Nam quod tota sit, non est dubium, cum Persona illa partes non habeat, sed indivisibiliter sit, ubicumque est. Sed dubium est an sit totaliter, id est, omnimodo, et secundum omnem rationem aut omne quod in se est, in alia. Nam aliqui sentiunt unam Personam esse in alia, non quia ipsa proprietas relativa sit in alia, sed quia essentia unius sit in alia, quasi per essentiam colliguntur, et reciproco modo sint in se, non vero per ipsas proprietates, sicut homo potest dici vinculatus, et alligatus alteri, licet solum in pedibus aut manibus vincula habeat.

Sed nos dicimus, non solum Personas inexistere ad invicem, et reciproco modo una in alia ratione essentia, seu per aliquid sui, sed etiam ratione ipsius proprietatis relativæ, et ratione originis actus immanentis, ut dictum est. Et sic in omni sensu verificatur, quod Ecclesia canit in hymno secundæ feriæ, in laudibus: « In Patre totus Filius, et totus in Verbo Pater. » Ratio est, quia Personæ divinæ sunt mutuo

inter se summo, et infinito modo, et mutuo se comprehendentes. Ergo cum non solum ratione essentiali possint mutuo inexistere, quod pertinet ad consubstantialitatem, sed etiam ratione relationis, quatenus mutuo se includit, et ratione originis immanentis, quatenus principium, et terminus, in se invicem manent, nec quidquam ex his modis existendi imperfectionem habeat, sed necessario consequatur ipsam naturam relativorum, et talium originum, dicendum est quod proprietates, et relativæ Personæ totæ, et totaliter existunt in se ad invicem, non solum secundum aliquid sui, id est, quantum ad essentialitatem, sed etiam secundum id quod proprietatis est, et relativum, tam quoad relationes ipsas, quam quoad origines. Non quod una Persona, seu proprietas informet aliam, aut inhærat alteri, sed quod respiciant se mutuo, et includatur una in notitia alterius, et una originet intra se, et alia terminet proprietatem alterius, et unius essentialitas communis sit utrique ex tali processione, et communicatione.

QUÆ PRIORITAS CONCEDENDA, VEL NEGANDA SIT IN PERSONIS DIVINIS.

VI. Quatuor modos prioritatis possumus in præsentibus distinguere.

Prima prioritas est durationis, ut quando aliquid incipit, vel est in sua duratione ante aliud, quæ vocatur prioritas in quo.

Secunda est prioritas naturæ, quando aliqua natura, vel ratio præsupponitur alteri, quia ab ea dependet vel causatur, licet utrumque sit simul tempore, seu duratione, sicut sol prior est luce in causando, sed non in existendo.

Tertia est prioritas originis, quatenus unum se habet, ut id a quo est

aliud, et per modum principii alterius, sive sint ejusdem naturæ, et durationis, sive diveræ, sicut Pater respectu Filii.

Quarta est prioritas rationis, seu intelligentiæ, qua unum intelligitur ut distinctum ab alio, et sine illo; ubi autem unum accipitur sine alio, prius illo potest intelligi, prioritate se tenente ex parte nostrorum actuum, quia diversis, et successivis actibus rem aliquam intelligimus, et ejus rationes, seu formalitates distinguimus.

VII. De primis duabus prioritatibus, certum est relegandas esse a divinis Personis. Prioritas quidem durationis, quia Personæ divinæ coæternæ sunt, nec una habet durationem succedentem alteri: ergo una non est prior altera in esse, et duratione, alias haberent esse divinum, et non unum.

Secunda vero prioritas relegatur a Deo, quia est prioritas causalitatis, et dependentiæ: dicitur enim unum prius natura quam alterum, quando alterum est in natura, et esse posterius, et consequenter dependens, et causatum ab altero; in Personis autem divinis, natura et esse est unum, et idem: ergo secundum ordinem naturæ unum non est prius altero, nec alterum posterius. Unde dicitur in symbolo Athanasii: « In hac Trinitate nihil prius aut posterius. »

VIII. De duabus aliis prioritatibus difficultas esse potest: nam D. Thomas qu. XLII, art. III expresse docet in Deo solum esse ordinem originis, quia una Persona est ex alia, sed non esse prioritatem neque secundum naturam, neque secundum intellectum: ille enim ordo originis non est ordo naturæ qui fundat prioritatem, sed est solum ordo emanationis, et principii: non tamen habens principiatum, neque habens aliquid posterius, sed idem esse, et

naturam communicans; unde nec proprie datur ibi prius. Et ex hoc probat D. Thomas suam sententiam, quia in Personis non est nisi essentialitas, et relatio. Secundum essentialitatem nulla est prioritas, quia est omnimoda unitas. Secundum relationes est simultas, quia relativa sunt simul natura, et cognitione: ergo nulla est ibi prioritas rigore loquendo de prioritate, licet sit ordo unius ex alio, eo quod prioritas rigore sumpta relate se habet ad posterius: in Deo autem nihil est posterius, quia hoc dicit quamdam inferioritatem, et diminutionem. Unde hoc magis consonat verbis ex Athanasio adductis in symbolo, quæ absolute, et sine ulla distinctione dicunt: « In Trinitate nihil esse prius aut posterius. » Et Augustinus lib. III adversus Maximinum, cap. XIV dicit: « Inter Patrem, et Filium esse ordinem naturæ, non quo aliter esset prior altero, sed quo alter esset ab alio. » Solum ergo admittit S. Thomas ordinem inter Personas, non prioritatem loquendo de prioritate rigurosa.

IX. Contra hoc sentit Scotus in I, dist. XXVIII, quæstione ultima, quem sequitur Vasquez disp. CLXVII, c. II et alii. Et probant, quia hoc ipso, quod datur ordo in divinis Personis secundum originem, debet concedi prioritas, et posterioritas, non absolute, sed cum addito, prioritas originis: nam ratione hujus ordinis absolute dicimus Patrem esse primam Personam, et Filium secundam: si ergo datur primum, et secundum ratione originis, cur non dabitur prius, et posterius secundum eandem originem. Et præsertim cum hoc prius, et posterius non opponatur simultati secundum naturam, et intellectum: ergo potest concedi in Deo. Deinde, quia ipse D. Thomas sibi contradicit: nam in quæstione XL, articulo ultimo dicit quod Personis

Patris secundum conceptum hypostasis est prior generatione, et consequenter Filio genito, in hac autem quæstione XLII, art. III dicit, quod non est prioritas inter Personas, etiam secundum intellectum: ergo contradicit sibi; præsertim cum prioritas secundum intellectum non sit aliud quam distinctio rationis, et consideratio unius sine alio, quæ non solum inter divinas Personas, sed etiam inter attributa ipsa negari non potest.

X. Nihilominus licet hæc dissensio ad solum modum loquendi pertineat, tamen, ut bene notat Cajetanus in hac quæstione XLII, art. III cohibenda est lingua, quia locutio illa de priori, et posteriori in divinis non nihil periculi aut dissonantiæ videtur habere, quia licet prioritas in aliquo fortisan sensu sustineri posset, tamen posterioritas semper diminutionem aliquam, et minoritatem designat. Et cum in symbolo Athanasii (quod est publicum Ecclesiæ testimonium, et professio) tam advertenter ponatur, quod in Trinitate nihil est prius et posterius, sine dubio securius loquitur D. Thomas qui omnem prioritatem, et posterioritatem rejicit, et solum utitur nomine ordinis, dicendo dari ordinem originis, non prioritatem. Et revera solum id videtur Scotus intendere loco citato, et aliis, qui ex ipso citari solent. Ex patribus vero, hi quos allegat Vasquez, videlicet Basilius lib. I contra Eunomium, non longe a fine, et lib. III in principio, et Epiphanius allegatus a D. Thoma opusculo primo contra errores Græcorum, cap. II, et Nazianzenus allegatus ab eodem capite nono non ita clare loquuntur: solum enim dicunt Filium esse medium inter Patrem et Spiritum sanctum, quia videlicet est secunda Persona Trinitatis, quod nullus negare potest, sed non est idem esse secundam, et ter-